

ibi : « Unde tu illum vi dejecisti, » etc.

96. *Interdictum hoc, quibus competat?* — Atque istud interdictum competit, et suffragatur illis, qui per alium, vel ejus familiam, vi a sua possessione fuerunt dejecti, seu expulsi: nam vi hujus interdicti cogitur ille, qui dejecit, restituere alteri possessionem, cit. l. I ff. *de Vi et vi armat.*, juncto toto tit. *de Restitut. spoliat.* Et hoc etiam procedit in eo casu, quo quis ab eo, qui dejecit, antea per intervallum vi, vel clam, aut precario possessionem acquisivit: nam etiam talis est restituendus, d. § *Recuperandæ*. Instit. *de Interdict.*, et c. *In litteris*, §, *de Restitut. spoliat.*, ubi dicitur quod etiam prædo, si spoliatur, sit restituendus.

97. *An, et quando etiam competat vi, vel clam possidenti?* — Notanter tamen additur, « antea per intervallum, » Nam hoc posterius tunc solummodo procedit, quando quis eum, qui vi vel clam cœpit possidere, non incontinenti, sed primum ex intervallo ex sua possessione expellat: nam tunc tenetur hoc interdicto, ac proinde cogitur restituere alteri possessionem. Secus est dicendum, quando quis eum, qui vi aut clam incipit possidere, expellit incontinenti; id est, illico antequam ad alios actus extraneos divertat: quia tunc vim vi repellere licet, l. III, § *Eum igitur*. ff. *de Vi et vi armat.*, et l. *Qui possessionem*. ff. eod., ac notat Glossa in d. § *Recuperandæ*. §. *Is*; Abbas c. *Olim*. n. 9 et 10, *de Restitut. spoliat.* id ulterius probans ex textu illius capituli, Vallensis tit. *de Restitut. spoliat.* § 1, n. 4, et alii.

98. *Interdictum Unde vi pertinet solum ad res immobiles.* — Resp. II. Interdictum recuperandæ possessionis, seu *Unde vi*, non pertinet nisi ad res immobiles. Patet hoc ex l. I, *Et generaliter*. ff. *de Vi et vi armat.*, et d. § *Recuperandæ*, Instit. *de Interdict.*, et ibi Mynsinger n. 3, Ferrarius, Kling, ac Pirhing tit. seq. n. 1. Ita tamen, ut sub rebus immobilibus etiam comprehendantur jura incorporalia, utputa servitutes, redditus annui, beneficia, pensiones, jurisdictiones, ac hujusmodi: nam talia jura incorporalia computantur inter mobilia; sicque, qui vi expellitur a talium possessione, recte agit interdicto *Unde vi*, prout desumitur ex c. *Olim inter*. 17, et c. *Pisanis*. 19, *de Restitut. spoliat.*

99. *Non vero ad mobiles.* — Cæterum pro rebus mobilibus, earumque possessione recuperanda, non competit istud interdictum, sed actio furti, vel actio vi bonorum, aut ac-

tio ad exhibendum: text. clar. d. l. I, § *Ilud utique*. ff. *de Vi et vi armat.*

100. *Nisi accessorie, seu nisi existerent in re immobili.* — Intellige, *principaliter*. Nam ut illico ibidem subjungitur, si tales res mobiles existerent in re immobili, puta, in fundo aut ædibus, unde quis vi dejectus est, tunc interdictum *Unde vi*, quod principaliter solummodo datur pro recuperanda possessione rerum immobilium, datur etiam secundo, accessorie sive in consequentiam, pro recuperanda possessione illarum rerum mobilium, utpote solo vel ædificio cedentium. Concordat textus in l. *Idem est*, § *Pertinet*, eod., ac notat Glossa in l. *Rem quæ novis*. §. *Erepta est*, ff. *de Acquir. poss.*; Maranta part. IV *Speculi aurei*, dist. 7, n. 29; Vallensis loc. cit. n. 2, Pirhing, et alii.

101. *Præter interdictum Unde vi, dantur plura remedia recuperandæ possessionis.* — Tandem sciendum, quod quidem in cit. § *Recuperandæ*. Instit. *de Interdict.* unicum assignetur interdictum recuperandæ possessionis, videlicet interdictum *Unde vi*; nihilominus præter hoc dentur plura alia remedia pro recuperanda possessione: adeo, ut Menochius loc. cit. universim enumeret septemdecim talia remedia; Maranta vero d. part. III *Speculi aurei*, dist. 7, n. 29, et seqq. viginti alleget.

102. *Quæ tamen non sunt interdicta.* — Verumtamen hæc non sunt interdicta, ut inquit Maranta cit. n. 29; post Bartolum, Alexandrum et alios in l. *Rem quæ novis*. ff. *de Acquir. posses.*; hi negant, pro rebus mobilibus, earumque possessione dari interdictum, etsi dentur alia remedia recuperandæ possessionis ipsarum. Et hujus ratio afferetur infra tit. seq. § 2, ubi commodius agetur de aliis remediis spoliatorum in specie.

## § IV.

DE ACQUISITIONE, ET IN ALIUM TRANSLATIONE POSSESSIONIS RERUM CORPORALIUM PER APPREHENSIONEM VERAM VEL FICTAM.

103. *Possessio rerum corporalium generatim acquiritur tribus modis; et quibus?* — Quæritur I. Quibus generatim modis, qualique apprehensione acquiratur et transferatur possessio rerum corporalium? Resp. I. Generatim loquendo, possessio rerum corporalium acquiritur ac transfertur tripliciter, seu tribus modis; videlicet apprehensione vera,

## § IV. DE ACQUISITIONE, ET IN ALIUM TRANSLATIONE POSSESSIONIS. ETC. 349

apprehensione ficta, et dispositione legis. Ita Sannig, h. t. cap. II, num. 1, estque in se communis; prout patebit ex sequentibus conclusionibus.

104. *Quando res antea in nullius bonis existit, requiritur ad acquirendam possessionem vera ejus apprehensio. Nemo possidet pisces in stagnis, et feras in sylvis libere evagantes.* — Resp. II. Quando res antea in nullius bonis extitit, ad acquirendam ejus possessionem requiritur vera apprehensio, sive corporalis detentio ipsius. Ita Hostiensis in *Summa*. tit. *de Causa possessionis*. n. 2, cum communi; et patet ex l. I, § 1, ff. *de Acquir. posses.* cum concordantiis. Unde pisces in publicis stagnis, aut feras in sylvis libere evagantes nemo possidet, quamdiu captæ seu apprehensæ non fuerint, quoniam manent in libertate sua naturali, l. *Possideri*. 3, § *Item feras*, ff. eod. Ubi idecirco falsum dicitur, quod si quis emerit sylvam, omnes ejus feras possideat. Neque enim per venditionem sylvæ potest venditor transferre in emptorem possessionem ferarum ibidem latitantium, eo quod hanc ipsemet non habeat, feris illis sua naturali libertate fruentibus: atqui « nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » ut loquitur reg. 79 juris in 6.

105. *Quando res jam antea in alicujus bonis existit sufficit apprehensio ficta, ut tertius quis ejus possessionem acquirat.* — Resp. III. Quando res corporalis jam antea extitit in alicujus bonis, non semper requiritur apprehensio vera seu corporalis, ut ejus possessio acquiratur, seu transferatur in aliquem tertium, sed sufficit etiam apprehensio ficta seu quasi apprehensio ipsius; nihilominus solo animo, et absque ulla apprehensione vera, vel ficta, possessio corporalium nunquam potest acquiri, sicque nec transferri in alium. Ita communis. Et quidem prior pars patebit ex declaratione apprehensionis veræ, et fictæ, de qua proxime.

106. *Solo tamen animo nunquam acquiritur possessio corporalium.* — Posterior autem pars conclusionis expresse habetur in l. *Licet*. C. *de Acquir. posses.*, ibi: « Possessio nudo animo acquiri non potest. » Concordat textus in l. *Quemadmodum*. ff. eod. ibi: « Nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest. » juncta l. *Possideri*. 3. § 1, ff. eod., et § *Possidere*. Instit. *de Interdictis*.

107. *Haud obstante, quod ea solo animo retineri possit; et cur?* — Nec obstat, quod solo

animo retineri possit possessio, d. l. *Licet*, c. eod., et cit. § *Possidere*. Instit. *de Interdict.* Resp. enim, plus requiri ad requirendam, quam ad retinendam possessionem; uti convincunt textus juris hæcenus allegati. Accedit ratio disparitatis: quia si solo animo posset acquiri rerum possessio, male provisum esset reipublicæ et quietæ hominum societati; tum quia avarus quisque quaslibet res facile concupisceret, et animo earum possessionem acquirere intenderet; tum quia, cum motus animi non tam facile dignosci, atque probare valeant, constare haud posset, quis inter plures prius animo suo rei possessionem acquisivisset. Hæc autem incommoda neutiquam urgent in retinenda solo animo, seu civiliter tantum rerum possessione, uti patet consideranti. Quinimo, nisi possessio rite acquisita deinceps posset solo animo retineri, longe graviora urgerent incommoda; cum dominus vel rebus suis semper actu insistere cogeretur (quod perquam difficile foret) vel in recuperanda tali possessione novas semper deberet molestias, aut lites experiri. Unde ad præcavendum talibus incommodis, merito Imperator cit. § *Possidere*. Instit. *de Interdict.* dixit: « Animo quoque solo retineri possessionem placet. » Nunc pro majori intelligentia prioris partis datæ conclusionis.

108. *Apprehensio vera, quæ? Quid sufficiat ad capiendam possessionem domus, vel fundi?* — Quæritur II. Quid sit apprehensio vera et ficta, quibusque modis contingat? Resp. I. Apprehensio vera, seu corporalis, dicitur ea, quæ fit vero actu corporali: utputa, manibus rem mobilem apprehendendo, vel pedibus insistendo rei immobili a nobis possidendæ. Non tamen ad hanc requiritur ut qui domum v. g. vel fundum possidere vult, singulas ejus partes circumambulet; sed sufficit quamlibet ipsius partem ingredi, ea mente et cogitatione, quod totam domum vel fundum possidere velit; prout habetur l. *Possideri*. § 1, ff. *de Acquir. posses.*

109. *Per ingressum domus comparatur possessio rerum mobilium in ea contentarum.* — His adde, quod per ingressum domus comparatur etiam possessio rerum mobilium in ipsa contentarum, dummodo animus possidendi ad eas sese extenderit. Siquidem res mobiles eatenus possidentur, quatenus sub custodia nostra sunt, cit. l. *Possideri*. § *Nerva filius*. ff. eod. Atqui adepta possessione domus, res mobiles in ipsa contentæ jam censentur esse in nostra custodia; ergo etiam



una cum domo possidentur, dummodo adsit animus ipsas possidendi. Et hoc ultimum idcirco, additur: quia quando quis emit solam domum, non vero suppellectilem, vel alias res mobiles ipsius, adepta possessione domus non censetur harum rerum mobilium possessionem acquirere: deest enim animus, qui una cum corpore simul requiritur ad acquirendam possessionem, l. *Quemadmodum*. ff. *de Acquir. possess.*

110. *Secus dicendum de thesauro ibidem latente; et quæ disparitas?* — Nec obstat quod secus sit dicendum de thesauro in fundo domus latente, utpote qui non possidetur, donec apprehendatur, d. l. *Possideri*. § *Nerattius*. ff. eod. Resp. enim, disparitatem esse manifestam. Siquidem thesaurus (sermo est de thesauro proprie dicto, non de sola pecunia custodiæ causa in terram recondita, arg. l. *Peregre* ff. eod.) non est sub nostro custodia, cum nec extet ejus memoria, l. *Nunquam*. ff. *de Acquirend. rerum domin.*, unde nec animus ipsum possidendi intervenit, cum ignoti nulla sit cupido. Bene tamen sub nostra custodia sunt res in domo a nobis possessa contentæ: et quia harum habetur proba notitia, etiam ad eas affectus possidendi sese extendit.

111. *Apprehensio ficta, quæ, quibusque modis fiat?* — Resp. II. Apprehensio ficta dicitur ea, quæ quidem non fit vero actu corporeo, nihilominus juris fictione, seu dispositione, habetur pro vera apprehensione, ejusque effectus operatur. Atque hæc alio nomine appellatur *Quasi apprehensio*: et contingit variis modis, quorum præcipuos adducit Glossa in c. *Ex litteris*. § 2. *Signum de Consuet.*, et continentur versiculis illis:

Visu, sive rei mutuatæ venditione.  
Clavibus, et chartis: mea si conduco scienter:  
Quamvis non aliter detur possessio, transit.

112. *Possessio non acquiritur sine corporali apprehensione, quomodo intelligendum?* — Unde licet regulariter verum sit, quod possessio non acquiritur sine corporali apprehensione, d. II. *Possideri*, et l. *Quemadmodum*. ff. *de Acquir. possess.*, cum concordantiis. Fallit tamen hoc in actibus illis, quibus ex artificiosa juris dispositione, absque alia corporali apprehensione transfertur rei possessio: quamvis, quia etiam in talibus actibus solet intervenire aliquis sensus corporis, v. g. visus, possit dici *Quasi apprehensio* concurrere.

113. I. *Visu sive aspectu, transfertur rerum possessio.* — I. Igitur hac ratione (sive per

fictam apprehensionem) *Visu*, oculis et aspectu, transfertur, et acquiritur possessio. « Non enim corpore, et actu necesse est apprehendere rem, sed etiam oculis et affectu: » prout habetur, ac varie exemplificatur in l. I. § *Si jusserim*. ff. *de Acquir. possess.* Unde, si dominus ostendat rem oculis, ac tradat verbis, puta, dicendo, « Pono te in possessionem illarum rerum, quas vides, et a me emisisti, » censetur transtulisse, alterique tradidisse possessionem. Abbas in c. *Ex litteris*, n. 10. *de Consuetud.* Concordat textus notabilis in l. *Quod meo*. § *Si venditorem*. ff. *de Acquir. possess.*, ubi inter alia sic dicitur: « Si vicinum mihi fundum mercatum venditor ex mea turre demonstrat, vacuumque possessionem se tradere dicat, non minus possidere cœpi, quam si pedem finibus intulissem. »

114. *Idque exemplificatur.* — Idem est: si venditor mercem, quam emeram, in domo mea me jubente deponat; aut jussus eam meo procuratori me vidente tradat. Nam censor ego ipsemet possessionem ejus acquirere (ei quidem per memetipsum, non per procuratorem solum: adeo, quod de hoc possit testificari. Notarius in publico instrumento. Jason. d. l. I. § *Si jusserim*, n. 2, et 4. ff. eod.), quamvis rem ipsam non attigerim. Textus est in cit. l. *Quod meo*. § 1. juncta Glossa § *Præstat*, et § *Si venditorem*, ff. *de Acquir. possess.*

115. *Ut visi transferatur rerum possessio, quæ concurrere debeant?* — Cæterum, ut visu transferatur rerum possessio, nonnulla debent concurrere. *Primo*, ut res prius ab alia fuerit possessa: nam quæ nullius sunt, non solo aspectu, sed corporali solum apprehensione possidentur; cum fiant primo occupantis, § *Feræ*. Inslit. *de Rerum divis.*, cum similibus. *Secundo*, ut res illa ab alio tertio non possideatur: nam si alius quis existeret in possessione rei, per talem fictam traditionem non posset privari sua possessione, arg. d. l. *Quod meo*. § *Si venditorem*, ibi: vacuumque possessionem, » ac notat Abbas in c. *Ex litteris*. n. 10. *de Consuetud.* Jason. loc. cit. n. 13. et alii. *Tertio*, ut verbalis traditio possessionis fiat per ipsummet dominum possidentem, qui demonstrando emptori, v. g. rem venditam, dicat se vacuum ejus possessionem tradere: nam secus est dicendum, si interveniat nuntius, vel executor, qui non erat in possessione; cum jura præallegata hoc solum admittant possessori. Abbas cit. n. 10, et Jason in d. l. I. § *Quod jusserim*.

ff. *de Acquir. posses.*, post Bartolum, et alios.

116. *Per apprehensionem fictam acquiritur vera possessio.* — Notandum insuper, quod quidem traditio possessionis, ejusque apprehensio, quæ fit per visum sive aspectum, sit ficta: nihilominus possessio, quæ de ipsa acquiritur, sit vera et propria possessio. Jason loco cit. n. 10. Et hoc idem dicendum in sequentibus casibus, in quibus pariter, jure sic ponente, per apprehensionem fictam acquiritur vera et proprie dicta possessio, et non ficta dumtaxat; prout rursus dicitur infra n. 138.

117. II. *Clavibus transfertur rerum possessio; idque exemplificatur.* — II. Clavibus, sive traditione clavium facta circa rem presentem, et animo transferendi ejus possessionem, transfertur, atque ab altero acquiritur possessio. Textus est in l. *Clavibus*. 74. ff. *de Contrahend. exemption.*, ibi: « Clavibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea traditæ sint: quo facto confestim emptor dominium et possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea. » Concordat textus in l. I. § *Si jusserim*. ff. *de Acquir. posses.* ubi dicitur, « Vina tradita videri, cum claves cellæ vinariæ emptori traditæ fuerint. »

118. *Inter alia requiritur ad hoc animus transferendi possessionem. In dubio præsumitur traditio clavium facta custodiæ causa.* — Cæterum, ut traditione clavium transferatur, et ab altero acquiratur rei possessio, præter hoc, quod res illa a nullo alio possideatur, sicque vacua tradi possit possessio, juxta dicta n. 115. requiritur vel maxime animus transferendi possessionem mediante illa traditione clavium: non enim sufficit, si hæc tradantur mere custodiæ gratia. Et quia verisimile non est, quod quis facile renuntiet possessioni suæ absque causa, arg. c. *Super hoc*. *de Renuntiât.*, hinc in dubio præsumitur, quod traditio clavium facta fuerit solius custodiæ causa; non autem animo transferendi possessionem rerum sub clavibus contentarum, nisi præcesserit titulus venditionis, donationis, vel alius. Jason. l. 1. § *Si jusserim*. n. 16. ff. *de Acquir. posses.* Card. Tuschus litt. P, concl. 407. n. 6, et alii.

119. *An etiam ad id requiratur, ut traditio clavium fiat in conspectu rei, cujus claves traduntur? Ponitur sententia affirmativa.* — Requiritur ulterius, ut ejusmodi traditio clavium fiat in conspectu ipsius rei, cujus claves traduntur. Abbas c. *Ex litteris*, n. 12. *de*

*Consuetud.* Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.*, cap. xvi, n. 11, post Bartolum, l. I. n. 18. ff. *de Acquir. posses.*; Jason l. *Possessio appellata*, n. 91. ff. eod.; Mascardus, *de Probat.*, concl. 1, 190, n. 18, et seqq., citans plures alios. Et desumitur hoc ex d. l. *Clavibus*; ibi: « Si claves apud horrea traditæ sint; » ac tenet Glossa ibid. § *Horrea*. Id firmans ulterius ex l. I. § *Si jusserim*, et l. *Quod meo*. § *Si venditorem*. ff. *de Acquir. possess.*

120. *Contraria quorundam sententia referatur.* — Contrarium nihilominus tenet Alexander in l. I, n. 78, ff. *de Acquir. possess.*, et post eum Decius consil. LVI. n. 2, qui volunt non esse necesse, quod claves tradantur in conspectu, vel presentia rei, cujus sunt claves, v. g. horrei; sed satis esse, si tradantur in loco propinquo, adeo ut emptor facile possit ad ipsam pervenire. Fundat hanc suam opinionem Alexander in verbis cit. l. *in Clavibus*, ibi: « Apud horrea: » hoc enim (inquit) jam salvatur, si traditio clavium fiat prope horreum, sive in loco propinquo, quamvis non fiat in conspectu horrei. Addit etiam, quod alioquin supervacanea foret, nihilque operaretur traditio clavium; cum solus aspectus, una cum voluntate verbis expressa prioris possessoris volentis transferre, jam sufficiat ad acquirendam possessionem, juxta dicta superius n. 113 et 114.

121. *Sed relinquatur.* — Verum hæc sententia passim ab aliis relinquatur, ob textus juris supra allegatos. Quamvis enim traditio clavium facta extra conspectum rei, cujus sunt claves, operetur effectum licentiæ ingrediendi rem illam, et capiendi propria auctoritate possessionem mercium in ea existentium, sibi que venditarum: non tamen actualiter per ipsam transferatur possessio. Abbas cit. n. 12. Romanus. concil. 337, n. 6, et Card. Tuschus d. concl. 407, n. 7, quamvis ibid. n. 5, nonnihil etiam faveat sententiæ Alexandri.

122. *Dictio Apud quandoque obtinet vim dictionis Coram.* — Nec obstant rationes in contrarium n. 120 allegatæ. Non quidem prima, ex illis verbis deprompta: « Apud horrea. » Siquidem dictio *Apud* in jure quandoque obtinet vim dictionis *Coram*; uti accidit in l. *Eum pro quo*, ff. *De in jus vocando*: ibi: « Apud officium cavet: Apud acta promisit: » id est, coram judice, officialibus, ut explicat Glossa. Idem fit in l. *De jure*. § 1. ff. *ad Municipalem*, ibi: « Apud præsidem provinciæ